

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
University of Toronto

Level-II Medieval Latin Make-up Assignment, Part 1

1 Nov. 2021

Translate the following passage and provide comments which you find necessary for the elucidation of its meaning (including general context) and style. Although the use of dictionaries is **not** permitted, you may consult the on-line Brepols database for purposes of identifying scriptural citations or other relevant information.

Hermanni Contracti vita seu elogium a Bertholdo eius discipulo scripta (App. Berth., Chron., MGH SS rer. Germ. N.S. 14)

[IV] Tandem vero cum de ergastulo mundi huius fastidioso sanctam eius animam Dei pietas dignaretur liberare, pleuretica arreptus passione X contabescens dies, incessabiliter fere et immaniter laboravit letali hac invasione. Tum quadam die summo mane, cum matutina synaxi celebrata ego, quem quidem familiarem pre ceteris habebat, ad lectum egrotantis accessissem, ut, an se aliquantulum melius habuerit, ab eo inquisissem, respondit: 'Noli, inquam, de hoc, noli me interrogare, quin potius hoc, quod tibi, in quo non parum confido, enarrem, diligenter attende. Moriar procul dubio in brevi et non vivam nec reconvalescam; ideoque tibi meisque omnibus unice nimis commendo peccatricem animam meam. Per totam quippe noctem hanc in extasi quadam raptus fueram et videbar mihi ea memoria et scientia, qua orationem solemus dominicam, Hortensium Tullii Ciceronis lectitando et mox relectitando vigilanter percurritare et remanentis adhuc sensum et scripturam materie, quam proposui de vitiis dictandam, quasi iam perscripserim, similiter lectitare, et id genus multa. Cuius nimirum instinctu et hortatu lectionis tanto mihi totus hic presens mundus cum suis omnibus et ipsa hec vita mortalis contemptui et tedio est et e contrario tam ineffabili desiderio et dilectioni futurus ille non transitorius mundus et eterna illa et immortalis vita, ut quasi nihili et inane cuncta transitoria hec omnino reputentur et flocci pendantur a me. Tedet quidem me vivere'.

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
University of Toronto

Level-II Medieval Latin Make-up Assignment, Part 2

3 Nov. 2021

Translate **one** of the following four passages. The use of dictionaries is **not** permitted.

1. Peter the Hermit hears about persecutions in Jerusalem

Per idem igitur tempus, cum deo placens predicta civitas tantis, ut premisimus, subiecta esset molestiis, inter eos, qui orationis gratia et causa devotionis ad loca accedebant venerabilia, sacerdos quidam Petrus nomine, de regno Francorum, de episcopatu Ambianensi, qui et re et nomine cognominabatur Heremita, eodem fervore tractatus Ierosolimam pervenit. Erat autem hic idem statura pusillus et quantum ad exteriorem hominem persona contemptibilis, sed maior in exiguo regnabat corpore virtus: vivacis enim ingenii erat et oculum habens perspicacem gratumque et sponte fluens ei non deerat eloquium. Hic lege communi semelque proposita Christianis introire volentibus dato tributo urbem ingressus, hospicio susceptus est apud quendam fidelem, qui et ipse de numero erat Christi confessorum. A quo de eorum conditione diligenter percunctans, sicuti vir industrius erat, ab eo non solum de presentis periculo temporis, verum etiam et de persecutione, quam eorum passi fuerant progenitores a multis retro temporibus, plenius edoctus est.

2. Seek and follow the well-trodden path (Gregory VII)

Congregata nanque hoc in anno apud sedem apostolicam synodo, cui nos superna dispensatio presidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem christianę religionis multis iam labefactatum temporibus et principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas et suadente diabolo conculcatas, concussi periculo et manifesta perditione Dominici gregis ad sanctorum patrum decreta doctrinamque recurrimus, nichil novi, nichil adinventione nostra statuentes, sed primam et unicam ecclesiasticę disciplinę regulam et tritam sanctorum viam relicto errore repetendam et sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostrę salutis et ęterne vite introitum Christi ovibus eorumque pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur et pascua inveniet*, et ab apostolis predicatum et a sanctis patribus observatum in evangelica et in omni divinarum scripturarum pagina didicimus.

3. Savonarola to Pope: you should have listened to me

Cum sit Christiani officium Dei honorem et domini nostri Iesu Christi fidem vitaeque rectitudinem defendere, equidem videns propter multorum pastorum exempla Christi oves tota via aberrare, veritatem evangelii praedicans, fidem corroborans, vitam christianam docens et, ut homines ad poenitentiam provocarem, futura mala—Deo inspirante—praedicans, pacem in hac civitate nutrire satagens proque his omnibus persecutionem ab improbis patiens, saltem a Tua Beatitudine non tantam contradictionem, sed omne merebar auxilium. Tu autem contra, cum audieris atque perlegeris adeo manifestas excusationes et purgationes meas omnemque praedicationum mearum veritatem intellexeris, quam soli impii et inimici crucis Christi se nescire proterve mentiuntur et impugnare non cessant—tu, inquam, Beatissime Pater, omnibus detractoribus aures praebuisti et universa mihi ope subtracta quam non modo ut Christianus praestare debueras sed ex officio tenebaris, lupis facultatem et vires praestitisti.